



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De traditione Christi facta à Iuda, à Deo, & à Iudæis. C

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

quod potuit, ut prius ageret, quod oportuit. Iustitia ergo humilitatis hominem liberauit, quem sola potentia æquissimè liberare potuit.

De causa inter Deum & hominem, & diabolum. B

Si enim tres illi in causam venirent, scil. Deus diabolus & homo: diabolus & homo quid aduersus Deum dicerent non haberent. Diabolus enim de iniuria Dei cõuinceretur: quia seruum eius, scil. hominem, & fraudulenter abduxit, & violenter tenuit. Homo etiam iniurius Deo conuinceretur: quia præcepta eius contempfit, & se alieno dominio mancipauit. De hominis iniuria cõuinceretur diabolus: quia & illum prius fallaci promissione decepit: & post mala inferendo læsit. Iniuste ergo diabolus, quantum ad se tenebatur hominè: sed homo iuste tenebatur, quia diabolus nunquam meruit potestatem habere super hominem, sed homo meruit per culpam pati diaboli tyrannidem. Si ergo Deus, qui vtrique præerat, potentia hominem liberare vellet, sola iussione virtute hominè potuit rectissimè liberare: sed ob causam præmissam iustitia humilitatis voluit. Qui dum in carne mortali crucifixus est, iustificati sumus, id est, per remissionem peccatorum eruti de potestate diaboli: & ita à Christo iustitia, diabolus victus est, non potentia. Quomodo autem in eius sanguine nobis peccata sunt dimissa, supra expositum est.

De traditione Christi, qua facta dicitur à patre & à filio, à Iuda & à Iudæis. C

Esa. 53. b
Rom. 8 f
Ephes. 5. a
Matth. 26. d
Luc. 24. c
August. ad
versum vl-
timū Ps. 93.
Et reddet il-
lis, tom. 8,

Christus ergo est sacerdos, idemque & hostia precium nostræ reconciliationis: qui se in ara crucis nõ diabolo, sed Deo trinitati obtulit pro omnibus quantum ad pretij sufficiētiam: sed pro electis tantum, quantum ad efficaciam quia prædestinatis tantum salutem effecit. De quo & legitur, quod sit traditus à patre, & quod seipsum tradidit, & quod Iudas eum tradidit & Iudæi. Ipse se tradidit, quia sponte ad

palsio-

passionē accessit: Et pater eum tradidit, quia voluntate patris, imò totius trinitatis passus est. Iudas tradidit, prodēdo, & Iudæi instigando: & fuit act⁹ Iudæ & Iudæorū malus, & actus Christi vel patris bonus: opus Christi & patris bonū, quia bona patris & filii voluntas: malū fuit opus Iudæ & Iudæorum, quia mala fuit intētio. Diuersa fuerunt ibi facta siue opera, i. diuersi actus, & vna res siue factū, scil. passio ipsa. Idemq; doctores aliquando vniunt in facto illo patrem, filium, Iudam, Iudæos, aliquādo disiungunt. Respicientes enim ad passionem, vnum opus illorum dicunt: attendentes intētionem & actus, facta diuersa discernunt. Vnde Aug. Facta est, inquit, traditio à patre, facta est traditio à filio, facta est traditio à Iudæ: vna res facta est. Quid ergo discernit inter eos? Quia hoc fecit pater & filius in charitate, Iudas vero in prodicione. Videris quia non quid faciat homo, sed qua voluntate, cōsiderandum est. In eodē facto inuenimus Deum, quo Iudam: Deum benedicimus, Iudam detestamur: quia Deus cogitauit salutē nostram, Iudas cogitauit precium quo vendidit Dominū, filius precium quod dedit pro nobis. Diuersa ergo intētio diuersa facta facit, cum tamen sit vna res ex diuersis. Ecce vnā rem dicit ibi fuisse, & diuersa facta: quia vna ibi fuit passio, sed diuersi actus. Et actus quidem Iudæ ac Iudæorum mali, quibus operati sunt Christi passionem, quæ bonum est & opus Dei est.

Quod Christi passio dicitur opus Dei, & Iudæorum, & quomodo.

D

Passio ergo Christi & opus dicitur Iudæorum, quia ex actib. eorum prouenit: & opus Dei, quia eo auctore, i. volente fuit. Vnde Aug. Nemo aufert animam Christi ab eo, quia potestatem habet ponendi & sumendi eam. Ecce habes auctore operis. Ponet animam. Ecce habes opus auctoris. Et vt generaliter concludam, quoties in carne Christus aliquid pati-

Aug. tract.

7. ad illud

1. Ioan. 4

Quia filium

suum vni-

genitum mi-

serit in mun-

dum, to. 9:

Ioan. 10. d